IN I. NOCTURNO.

Jerem. 3. *Ant.* Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & Doctrinâ. *Pſalmus* 1. Beatus vir qui non abiit, &c.

Ezech 44. *Ant.* Populum meum docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum, inter mundum & immundum. *Pſalmus* 4. Cum invocarem, &c.

Iſa. 62. *Ant.* Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes; tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. *Pſalmus* 15. Conſerva me, &c.

Levit. 21. *V.* Sancti erunt Deo ſuo. *R.* Et non polluent nomen ejus.

De Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Hebreos. *Cap.* 5.

LECTIO I.

OMnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis; qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſe metipſo offerre pro peccatis. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur adeo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſe met ipſum clarificavit ut Pontifex ſieret: ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodie genuite; quemadmodum & in alio loco dicit: tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſſedech.

Tu autem.

R. Excelſum fecit Dominus Aaron, & dedit illi Sacerdotium gentis. * Melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus. Eccli. 45. Heb. 6 *V.* Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis: tu es Sacerdos in æternum. * Melioris. Pſal. 109.

LECTIO II.

QUi in diebus carnis ſuæ, præces ſupplicationes que ad eum qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus, factus eſt omnibus obtem-